

perseverent in nequitia, eos privari posse beneficio ab Episcopo, juxta canonica instituta, quavis exceptione et appellatione remota.

14. Quæri tandem potest utrum contra omnes clericos concubinos, et quomodo procedi possit.

Profecto si concubinatus clerici sit prorsus occultus, puniri nequit canonica sanctione, sed divino judicio plectendus relinquitur *can. XI. Erubescant. Dist. 32.* — Si concubinatus sit notorius, scilicet vel per confessionem factam in jure, vel per evidentiam facti, quæ nulla tergiversatione celari possit, *c. ult. h. t.*, tunc etiam sine accusatione contra clericum reum procedi potest. Verum debet servari forma procedendi præscripta a Conc. Trid., ita ut si quoad clericos beneficium possidentes privatio illico decernatur, sprete tridentina forma, seu ordine, privatio hæc habeatur ceu spoliū judiciale, sitque nullius valoris, et concedatur clerico restitutio in integrum contra sententiam.

15. Tandem si concubinatus clerici sit quasi occultus, id est si tantum gravis suspicio de clerici concubinato enascatur, et in populo scandalum oriatur, hoc in casu clerico neganti crimen inspecto jure Decretalium intimanda esset purgatio canonica; quam purgationem nisi præstare velit, vel in ea defecerit, tunc uti convictus puniri posset. Scilicet posset contra ipsum procedi tamquam in clericum concubinarium convictum, *c. 8. h. t. et cap. 10. De purgatione canonica.* Hodie vero juxta regulam tridentinam clericus graviter suspectus de concubinato monendus est, ut mulierem suspectam a se removeat; quod nisi monitioni paruerit, præsumptio criminis exurgit contra eum, et proinde pœnis a Tridentino statutis subjici poterit.

Tandem animadvertimus, circa modum procedendi contra clericum concubinarium præ oculis haberi posse regulas practicas statutas in Instructione S. Congregationis Episcoporum et Regularium a Summo Pontifice Leone XIII. approbata die 11. Junii 1880, quam in appendice libri II. exhibuimus.

### TITULUS III.

#### De Clericis conjugatis.

1. Non omnis cohabitatio cum mulieribus est clericis interdicta; datur enim honesta cohabitatio per legitimum matrimonium.

De hac honesta cohabitatione agit titulus noster. Quæritur 1º. an Clerici possint matrimonium contrahere.

Distinguendum est inter clericos in minoribus, et clericos in majoribus ordinibus constitutos.

Clerici minores non solum valide, sed etiam licite contrahunt matrimonium; nam eorum mancipatio statui ecclesiastico et cultui divino non est absoluta, sed conditionalis. Scilicet clerici minores considerantur potius in via ad majores ordines, quos cum susceperint, in vera, completa et perpetua statione ecclesiasticæ militiæ collocantur. Positio ergo minorum ordinum relate ad statum ecclesiasticum, cum includat conditionem, *dummodo clericus velit in sancto proposito perseverare statum ecclesiasticum definitive amplectendi*, non reddit clericum ipsum inhabilem aut quoquomodo impeditum ad matrimonium contrahendum.

2. Matrimonium vero a clericis minoribus contractum, quantum in se est, collocat eosdem in conditione aliena ab ecclesiastica. Primo autem loco consideremus matrimonium clericorum in relatione ad beneficia quæ possident. Ex lege canonica clericus minor matrimonium contrahens, ante etiam ipsam consummationem privatur beneficiis, quæ possidet. Diximus *ante consummationem*, nam ob matrimonium impliciter ratum clericus beneficio suo privatur *capp. 1., 3. et 5. h. t.*

3. Specialem expositionem promeretur caput tertium, cujus species est: Quidam clerici minores diœcesis Verulanæ beneficium ecclesiasticum assecuti, aliquid de suis patrimonialibus bonis in Ecclesiam proprii beneficii contulerant. Cum deinde matrimonium contraxissent, quæsitum est ab Alexandro III. quid sentiendum esset de beneficio, et de bonis collatis Ecclesiæ. Pontifex respondit, beneficio privandos esse clericos hujusmodi, sed collata bona eisdem esse restituenda. Hæc vero secunda dispositio, quæ in summa capitis dicitur valde notabilis et allegabilis, procedit ex eo quod bonorum suorum donatio facta a clerico Ecclesiæ propriæ, vel a monacho monasterio, præsumitur conditionata, id est præsumitur eidem donationi implicite inesse conditio, ut duret, donec perduret commoratio donantis in Ecclesia vel monasterio. Nemo enim clericus vel monachus factus præsumitur velle se absolute bonis suis exspoliare adeo, ut ad statum laicalem reversus mediis sustentationis destitui patiatur. Hinc hæc donatio consideratur et acci-



pitur in similitudinem dotis ab uxore in domum viri illatæ. Unde merito Alexander III. præcepit restitutionem bonorum collatorum. Donationes vero quæ Ecclesiis absolute fiunt, irrevocabiles sunt.

4. Quæritur a DD. utrum privatio beneficii quoad clericum contrahentem matrimonium procedat ipso jure, an ex judicis sententia fieri debeat. Quamvis nonnullis auctoribus visum fuerit, hanc privationem non procedere ipso jure, sed requiri judicis sententiam, tamen prævaluit et in praxi servatur contraria opinio, quæ a Glossa in *c. 1. h. t.* traditur. Dicendum scilicet est, clericum minorem per ipsum contractum matrimonii omni prorsus privari titulo et jure beneficii aut beneficiorum possessorum. Ratio hujus canonicæ dispositionis in *c. 3. et 5.* adsignatur, et deducitur ex conceptu notabilis distinctionis et separationis pro latina Ecclesia inter statum conjugalem et statum clericalem. Status nempe conjugalis propter sua onera et officia erga uxorem et liberos habitus est ceu incompatibilis cum statu clericali, in quo homo divino servitio mancipatur. Hanc incompatibilitatem perbellè exprimit Innocentius III. in *cap. 5. h. t.* per hæc verba: *in quorum (clericorum conjugatorum) conversatione cithara cum psalterio male concordat*, ubi per vocabulum *cithara* Pontifex intelligit sæcularia solatia, et per vocabulum *psalterio* intelligit officia clericalia, inter quæ et illud est divinas laudes canendi. Ex qua incompatibilitate illico descendit, componi non posse statum conjugalem cum legitima et juridica possessione Beneficiorum, quæ statui clericali alligantur, et conceduntur ad honestam vitam clericorum in eum scopum, ut ecclesiastica munia diligenter et rite exercent. Hinc in titulo *De Renunciatione c. 9.* matrimonii contractus agnoscitur a jure ceu factum inducens tacitam aut præsumptam renunciationem beneficii. Nec objiciant in *capp. 3. et 5. h. t.* a Pontificibus asseri clericos minores contrahentes matrimonium *privandos esse* beneficio; nam hæc verba explicantur juxta sententiam *cap. 1. h. t.*, in quo dicitur, compellendos esse ad relinquenda beneficia ecclesiastica. Scilicet si præsumant hujusmodi clerici adhuc detinere beneficium, expellendi sunt ab ipsa materiali possessione; non vero privandi ipso Beneficii titulo et jure, quo jam carent ob initum matrimonium.

5. Quid vero si matrimonium fuerit invalidum? Quidam distinguunt casum nullitatis ex defectu consensus vel ex impedimento cognito, et casum nullitatis ex occulto impedimento, quod

clericus contrahens ignoraverit. In 1º. casu ajunt, beneficiis præhabitis clericos non privari, eo quia non præsumitur renunciare juri suo, qui scienter actum nullum ponit; in 2º. casu vero privari, ob seriam voluntatem assumendi statum incompatibilem cum beneficio; quæ seria voluntas renunciationi æquivalet. Auctores qui hanc tuentur sententiam moventur ab *arg. c. Nuper 4. De Bigamis*, ubi propter affectum idest propter intentionem etiam inefficacem cum opere tamen subsecuto quis inter bigamos recensetur etc. — Casus cit. cap. 4. est de viro, qui post mortem uxoris ordines sacros suscepit et deinde attentavit et consummavit novum matrimonium. Porro licet hoc secundum matrimonium fuerit nullum, tamen vir ille ob affectum, idest intentionem contrahendi et consummandi matrimonium consideratus est uti bigamus. Verum si attendatur ad rationem juridicæ dispositionis, tenendum est, in utroque casu privationem beneficii locum non habere saltem ipso jure. Nam privatio beneficii fuit inducta ex incompatibilitate status conjugalis cum fidei adimplemento officiorum clericalium. Quoad usque ergo revera assumptus non est status conjugalis incompatibilis, censentur perseverare jura actus clericalis. Per matrimonium vero quomodocumque invalidum status conjugalis non assumitur. Hinc si matrimonium ex qualibet causa nullum contrahat clericus minor, dicendum est ipsum non amittere ipso facto jus et titulum beneficii juxta *Reg. 52. Jur. in 6º. Non præstat impedimentum, quod jure non sortitur effectum.* Nec factum contracti matrimonii in casu nostro potest recipi pro tacita renunciatione. Nam si matrimonium est validum, tunc certe, ob acceptationem veram et realem conditionis incompatibilis, jus præsumit factam renunciationem beneficii, sed in casu invalidi matrimonii deest acceptatio status incompatibilis; deest ergo in concreto ratio præsumptæ vel tacitæ renunciationis juxta intentionem *c. 9. De Renunc.* Videlicet non præsumitur clericus voluntatem seriam habuisse renunciandi beneficio nisi in hypothesi validi contractus matrimonii, et assumpti status conjugalis. Quod si enim clericus scivisset matrimonium non valere, procul dubio præsumitur noluisse valedicere beneficio. Ergo in hypothesi matrimonii invalidi admitti nequit renunciatio, præsertim quia, excluso facto juridico, renunciatio fieri debet auctoritate Superioris eandem acceptantis. Hæc responsio firmatur auctoritate Glossæ *fin. in c. 1. h. t. et can. Presbyterum. penult. Dist. 28.* Ergo non vacat beneficium ipso facto.



6. Quid igitur dicendum est de beneficio clerici minoris contrahentis invalidum matrimonium? Si invalidum sit matrimonium ob impedimentum occultum et ignoratum a partibus, licet ipse unicus actus matrimonialis contractus non reddat vacans beneficium clerici, tamen perseverantia clerici in statu conjugali, declarans acceptationem seriam et stabilem, idest repetitis actibus confirmatam status laicalis, naturaliter facit beneficium esse desertum. Hinc per collationem alteri factam procul dubio prior clericus privatur beneficio.

7. Si autem clericus scienter attentavit matrimonium invalidum, quamvis ipso jure non privetur titulo beneficii, tamen ob crimen exspoliandum esse beneficio iudicis auctoritate tradunt doctores.

8. Hæc quæ diximus respiciunt beneficia clerico minori collata ante contractum matrimonii; quid vero dicendum de beneficio, quod forte clerico post contractum matrimonium, et perseveranti in statu conjugali conferatur? . . . Hæc collatio ob incompatibilitatem inter utrumque statum nulla est ipso jure. Quod si scienter collatio hujusmodi ab Episcopo facta fuerit; tunc clericum conjugatum a possessione beneficii illegitima ejiciet non quidem Episcopus ille, qui beneficium contulit, sed ejus Superior *c. 5. h. t. circa finem*.

9. Verum positæ conclusioni videtur adversari *cap. 7. h. t. in quo supponitur posse clericum conjugatum beneficium ecclesiasticum assequi et retinere pacifice*. Species est: In Diœcesi Pictaviensi clericus qui acolytus fuerat, dimisso habitu, uxorem duxerat. Episcopus cogebat eum, uxore frustra obsistente, ad habitum et tonsuram clericalem deferendam. Interrogatus hac de re Innoc. III., respondit, molestiam non esse inferendam clerico illi, nec cogendum esse ad deferendam tonsuram et habitum ecclesiasticum *'dummodo tamen nullum percipiat ecclesiasticum beneficium, cujus ratione ad id teneatur'*. Ergo etc. . . .

Respondemus. Incompatibilitas inter statum conjugalem et clericalem non est absoluta et essentialis uti diximus, sed derivat ex conceptu consecrato in legislatione Ecclesiæ latinæ. Potest ergo ex dispensatione Summi Pontificis clericus conjugatus beneficium recipere. Juxta glossam et communem doctorum sententiam, ad casum pontificiæ dispensationis respicit *cap. 7. h. t.* — Neque dicatur, Innocentium mentionem non fecisse hujus dispensationis;

nam cum necessitas dispensationis notissima esset, nec de illa moveretur quæstio, non tenebatur Innocentius illam commemorare. Erat insuper extra scopum mentio dispensationis; nam Pontifex ex suo scopo debebat solummodo indicare hypothesim, in qua clericus tenebatur gestare habitum, et hanc hypothesim conditionate expressit, idest si aliquod beneficium ecclesiasticum clericus conjugatus possideret, non vero tenebatur exprimere modum, quo hypothesi illa verificari poterat, an scilicet cum dispensatione, vel absque dispensatione; an cum dispensatione Pontificis vel solum ex dispensatione Episcopi. Res enim nota erat, quod dispensatio Pontificis requirebatur.

10. Quod de beneficiis dictum est, applicari etiam debet pensionibus ecclesiasticis; scilicet clerici minores, matrimonium contrahentes privantur ipso facto pensionibus ecclesiasticis, pariterque nulla est ipso jure collatio ecclesiasticarum pensionum facta clericis conjugatis, nisi accedat dispensatio Romani Pontificis. Porro pensiones ecclesiasticæ illæ dicuntur, quæ titulo clericali conferri solent.

11. Non prohibentur vero pensiones quæ titulo civilis stipendii concedi solent pro ministerio temporali et labore tolerando ex gr. pro pulsandis organis, pro exercenda advocatia, seu patrocinio Ecclesiæ etc. . . . Pater Thesaurus *de pœnis ecclesiasticis, cap. IV. verbo Apostasia*, cum Doctoribus ex arg. *c. X. h. t.* tradit clericum in minori assumentem statum incompatibilem cum statu clericali ex gr. *voluntariam militiam*, ipso facto saltem vi tacitæ renunciationis privari pensione ecclesiastica et ecclesiastico beneficio. Conferatur Giraldi *Expositio Juris Pontif. Sectio 336. ad cap. 1. tit. 3. lib. III.*

Hæc dicta sint de effectu matrimonii contracti a clerico minore in relatione ad beneficia et pensiones perceptas ex bonis ecclesiasticis; nunc considerandus est effectus ejusdem matrimonii relate ad privilegia clericalia.

12. Si inspiciamus jus decretalium, habemus *c. un. h. t. in 6º*, in quo conceditur clericis minoribus conjugatis privilegium fori, et privilegium canonis dummodo binæ sequentes conditiones verificentur: 1º. ut matrimonium contraxerint cum unica et virgine, secus enim bigami essent et irregulares, omni proinde clericali privilegio destituti *cap. un. De Bigamis in 6º*; 2º. ut vestes clericales et tonsuram deferant. Hisce conditionibus tertiam addit Conc. Tridentinum in *c. 6. sess. 23. De Ref.* pro conservando privilegio



fori, ut nempe alicujus Ecclesiæ servitio vel ministerio de mandato Episcopi sint addicti.

In cæteris vero clericus conjugatus habetur uti laicus, idest aliis privilegiis destituitur, quemadmodum legitur in *cit. c. un. h. t. in 6º*. — Hinc non fruitur beneficio competentiae ex *cap. Odourd. De solutionibus*.

13. Verum *capiti un. h. t. in 6º*. adversari videtur dispositio *c. 7. h. t.* in quo Innocentius III. expresse asserit, clericum conjugatum etiam deferentem habitum et tonsuram privilegio clericali non gaudere. Ut concilientur hæ duo capita aliqui dicunt, verba illa *privilegio clericali* sumenda esse pro summa et universitate privilegiorum, quæ clerico conjugato non certe competunt; nam in *cap. un. h. t. in 6º*. duo tantum tribuuntur privilegia, fori nempe et canonis. At hæ conciliatio capitum admitti nequit. Verba enim *clericali privilegio* non solum cumulum privilegiorum indicant, sed etiam exprimunt ipsa privilegia in particulari. Innocentius ergo ipsa etiam duo denegat privilegia, quæ Bonifacius admittit. Ad repugnantiam vero horum capitum tollendam, dici potest jure antiquiori clericos conjugatos nec duo privilegia canonis et fori obtinuisse. Hinc Innocentius asserere absolute potuit, clericum conjugatum privilegio clericali non gaudere. At Bonifacius pristinum jus immutans, conjugatis clericis privilegia canonis et fori, binis conditionibus, de quibus supra, existentibus, concessit. Quod vero clerici conjugati ante Bonifacium omni privilegio reapse privarentur, et laicis hominibus æquipararentur, patet ex Honorio III. *in c. 9. h. t.* in quo Honorius ait reginam Angliæ a clericis uxoratis posse exigere absque ulla limitatione et absolute *justitias debitas et consueta servitia*. Adeoque implicite fassus est Honorius, nullam esse agnoscendam distinctionem inter clericos minores conjugatos et laicas personas.

14. De clericis majoribus in relatione ad matrimonium. Matrimonium relate ad clericos majores dupliciter considerari potest, vel nempe est contractum ante ordines majores, vel contrahendum post susceptos majores ordines. Si in secundo respectu consideretur matrimonium, certum est, in Ecclesia latina nec licite nec valide ipsum contrahi posse a clericis majoribus *can. Presbyterum. penult. Dist. 28. et capp. 1. et 4. h. t.* Sacer enim ordo, quemadmodum etiam solemne votum in approbata religione constituit impedimentum dirimens matrimonium; prouti definitum est in *Conc.*

*Trid. sess. 24. De Matr. can. 9.* qui ita se habet: *'Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, anathema sit.'* Ratio canonica hujus dispositionis reponenda est in perpetua et absoluta mancipatione hominis in eo statu qui per ordines majores assumitur, quique juxta conceptum legislationis Ecclesiæ latinæ distinctus prorsus est, et incompatibilis cum statu conjugali.

15. Si vero sermo sit de 1º respectu, videlicet an homo Christianus post contractum matrimonium, ipsoque perseverante, ad majores ordines promoveri queat; respondemus, in Ecclesia latina virum, uxore vivente, excepto tamen casu adulterii ex parte uxoris, non posse licite ad majores ordines ascendere, nisi ex consensu uxoris, quæ ingredi Religionem debet, vel si in ætate sit in qua suspicio de ejus incontinentia oriri non possit, remanere potest in sæculo sed emittere tenetur votum perpetuæ castitatis *cap. 2. h. t. et c. 5. et c. 8. De convers. conjugatorum . . . Diximus excepto casu adulterii*. Nam ob adulterium uxoris potest vir mulierem pro tota vita deserere, ac proinde, ea etiam invita, potest statum incompatibilem cum matrimonio assumere, nempe sacros suscipere ordines *c. 4. et c. 15. De Divortis*. Hæc innuisse sufficiat quoad Ecclesiam latinam; de hac enim re iterum sermo erit in *cit. tit. De conversione Conjugatorum*.

16. Si de Ecclesia græca sermo sit, pariter distinguendum est inter matrimonium contractum et matrimonium contrahendum. Clerici, qui matrimonium contraxerunt in ordinibus minoribus, possunt ad majores ordines, excepto episcopatu, promoveri, constante matrimonio, illoque uti. At ab usu matrimonii abstinere debent clerici hujusmodi quando ministerii proprii munia implere tenentur. Hæc disciplina inducta est ex *can. 13. concilii trullani*, et toleratur ab Innocentio III. in *cap. 6. h. t.* Diximus *excepto* episcopatu; nam in episcopatu nec græci admittunt usum matrimonii. Quare qui est uxoratus non promovetur ad episcopatum, nisi consentiente uxore, quæ vel religionem ingredi, vel votum emittere debet perpetuæ castitatis in sæculo, omni prorsus suspitione et periculo incontinentiæ remoto.

17. Quid vero dicendum de matrimonio in Ecclesia græca post susceptos ordines majores contrahendo? Habemus canonem sextum Synodi trullanæ, quæ etiam quini-sexta Synodus nuncupatur. Verba



canonis hæc sunt: *'Quoniam in apostolicis etc. . . . decernimus ut deinceps nulli penitus Hypodiatono, vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem contrahere (matrimonium) liceat. Si autem fuerit hoc ausus facere, deponatur'*.

18. Verum prohibitio contrahendi matrimonium plene et in universali Græcorum disciplina servata non est quoad Subdiaconos; in genere enim græca Ecclesia subdiaconatum in censu majorum ordinum non adscripsit. Attamen si de Italo-græcis sermo sit, qui nempe in Italia et in insulis adjacentibus fidelibus ritus latini commixti commorantur, ac Episcopis latinis subsunt, specialis data est constitutio a Benedicto XIV. *septimo Kalendas Junii ann. 1742*, quæ incipit: *'Etsi Pastoralis'* quæque legitur in 1<sup>o</sup>. tom. Bullarii ejusdem Pontificis *sub n. 57*. In hac porro constitutione § 7. n. 27. prohibet Pontifex non solum Presbyteris et Diaconis, sed etiam ipsis Subdiaconis matrimonii contractum post ordinationem.

19. At si reapse a majoribus clericis fuerit initum matrimonium inter Græcos, eritne validum? Si sermo sit de Italo-græcis in Italia vel in insulis adjacentibus commorantibus, certum est, matrimonium clericorum majorum nullius esse valoris; nam Pontifex Benedictus in *cit. § 7. Const. Etsi Pastoralis* expresse ait: *'Matrimonium post recensitos ordines (Subdiaconatus et supra) contractum, nullum irritumque declaramus'*.

20. At si sermo sit de aliis Græcis, non eadem certitudine dici potest, matrimonium contractum a clericis majoribus nullum esse ac irritum. Sane quæstio agitata est et quidem magna contentione inter doctores et pluribus visum est, matrimonium contractum a clericis majoribus in Ecclesia orientali esse quidem illicitum, non vero invalidum. Nam canon Synodi Trullanæ supra relatus loquitur quidem expresse de prohibitione contrahendi matrimonium post susceptos majores ordines, non tamen irritum pronunciat matrimonium illud. Ergo revera pro Ecclesia græca, exceptis Italo-græcis, lex generalis irritans matrimonium clericorum majorum clara et explicita non adest. Hinc matrimonium hujusmodi nec incidit sub sanctione *can. 9. sess. 24. De Ref. matr. in Tridentino*; nam ibi nullitas matrimonii procedere dicitur ex lege ecclesiastica, vel ex voto. Supponit ergo Concilium Tridentinum legem ecclesiasticam vel votum quod matrimonium irritet. Ubi igitur desit hæc lex et desit votum, ibi matrimonium clericorum non deprehenditur esse sub lege irritante tridentina. Verum plures alii Doctores juxta

ipsam disciplinam orientalis ecclesiæ ab Imperatore Justiniano in *leg. 45. Cod. de Episc. et cler.* roboratam, tuentur omnimodam invaliditatem matrimonii quod a clericis majoribus in ecclesia orientali contrahatur. Benedictus XIV. in *Instruct. 'Eo quamvis' data die 4. Maji 1745. § 38.* horum doctorum sententiam appellat sanio-rem, et Congregationum Urbis menti magis conformem. Hæc Benedicti XIV. opinio documentis posterioribus et nobis coævis roboratur. Etenim præsto est Instructio data de Summi Pontificis Pii IX. s. mem. mandato a S. Congregatione de Propaganda Fide Archiepiscopo Fogarasiensi et Albæ-Julieni ritis græci-rumeni die 24. Martii 1858, in qua satis superque innuitur, matrimonium quod contrahant clerici in majoribus ordinibus constituti, esse prorsus irritum. Etenim inter alia in hac Instrukione edicitur *'Quod si aliqui (quod Deus avertat) post sacros (ordines) ut præfertur, matrimonium attentare præsumpserint, decernit Sanctitas sua, ut ad tramites sacrorum canonum severe puniantur'*. Jam vero verba *matrimonium attentare* juxta loquendi modum in re canonica matrimonii nullitatem expriment. Præterea cum ageretur de legitimo secundo conjugio inito a quodam sacerdote græco-rumeno Diocesis Magni-Varadini inito cum muliere vidua, S. Congregatio Supremæ Inquisitionis *die 22. Decembris ann. 1875* sequens dedit responsum: *'Attentis peculiaribus facti adjunctis, supplicandum Sanctissimo pro gratia dispensationis super impedimento ordinis ac bigamia, ut orator Paulus Papp, prævia reductione ejus ad statum laicalem perpetuum, et gravibus ac salutaribus impositis pœnitentiis, matrimonium legitime contrahere valeat'*. Ex audientia autem eadem die a Summo Pontifice habita rescriptum prodiit: *'Sanctissimus benigne annuit pro gratia dispensationis juxta Eminentissimorum Patrum suffragia, quæ confirmat'*.

Hisce positis, licet in puncto juris, et in forma generali theoretice non sit resoluta quæstio; tamen ex mente et intentione S. Sedis taliter manifestata prior sententia hodie non amplius sustineri posse videtur.

#### De pœnis contra clericos majores matrimonium attentantes.

21. Juxta veterem disciplinam expressam in canonibus 2. et 9. *Dist. 28.* qui canones incipiunt *'Presbyter et Decernimus'*, clerici majores matrimonium contrahentes deponerentur.



22. Jure autem Decretalium Greg. IX. statuta est pœna suspensionis et excommunicationis ferendæ sententiæ *cap. 1. h. t.* Accessit inde Const. Clementis V. in Conc. Viennensi in Gallia celebrato ann. 1311. relata in *c. un. De Consanguinitate et affinit. inter Clementinas*, in qua decernit Pontifex, Clericos majores matrimonium contrahentes esse ipso facto excommunicatos. Hanc excommunicationis latæ sententiæ pœnam renovavit Pius IX. in Const. *Apostolicæ Sedis, edita quarto Idus Octobris ann. 1869*, ejusque solutionem reservavit Episcopis seu Ordinariis.

23. Hæc vero pœna excommunicationis clericos majores percellit, etiamsi solummodo attentaverint matrimonium; nam si etiam illud consummare ausi fuerint, contrahunt etiam irregularitatem bigamiæ similitudinariæ ex *c. 7. De Bigamis non ordinandis*. Insuper post *can. 9. cit. sess. 24. de Ref. matrim. in Tridentino*, si clerici majores matrimonium attentaverint cum errore formali, scilicet arbitantes matrimonium attentatum revera validum esse, considerari debent ceu hæretici, et pœnis plecti possunt contra hæreticos latis. — Hæc de clericis latinis.

24. Contra clericos majores græcos matrimonium contrahentes post ordinationem ex lege generali trullana in *cit. can. 6º*, decernitur pœna depositionis. Contra vero Italo-græcos Benedictus XIV. in *cit. § 7. Const. 'Etsi Pastoralis'* confirmat pœnam depositionis, simulque statuit excommunicationem latæ sententiæ.

#### TITULUS IV.

### De clericis non residentibus in Ecclesia vel Præbenda.

1. Unum ex capitibus honestatis externæ clericorum est ut ministeriis suis rite fungantur. Quare postquam actum est de vitæ et morum probitate sive relate ad illicitam, sive relate ad honestam cohabitationem clericorum cum mulieribus, merito proponitur tractatio de residentia clericorum in loco beneficii sui; quæ residentia plurimum influit in laudabile exercitium ecclesiastici ministerii.

Residentia definiri solet: Commoratio assidua seu ferme continua in Ecclesia, seu loco beneficii servitii ecclesiastici personaliter præstandi causa. — Hinc in sensu canonum revera non residet, qui officia ecclesiastica non præstat, quamvis in regione vel urbe commoretur, ubi beneficium possidet. Immo ut adnotant doctores, residere in sensu canonum nihil aliud est, quam deservire

officiis divinis in Ecclesia, in qua quis residere debet. Hinc residentia clericorum dicitur commoratio laboriosa.

2. Hæc residentia dicitur *vera et realis*; datur autem etiam residentia *ficta*, quæ locum habet, quoties clericus cum deberet aliquo in loco commorari et Ecclesiæ inservire, ibi ex legitima causa non commoratur; attamen fictione juris censetur residere. Quare licet revera alibi commoretur clericus, nihilominus fructus sui beneficii percipit, proinde ac si officia personaliter adimpleret.

3. Ecclesiæ vox, de qua in rubrica tituli proprie, exprimit beneficium, cui adnexa est cura animarum, sive proprio nomine possideatur, sive vicario nomine, sive sit beneficium majus ex. gr. Episcopatus, sive sit minus ex. gr. Parœcia. Præbendæ autem vocabulum significat quodcumque beneficium cui adnexa non est animarum cura.

4. Inspecta beneficiorum primæva institutione, dicendum est, omnia prorsus beneficia secumtulisse personalem clerici residentiam. Nam beneficia instituta sunt ceu totidem tituli, idest ceu definite stationes clericorum, in quibus clerici ecclesiastica servitia exhiberent, simulque ab Ecclesia consequerentur unde honeste viverent. Quare in qualibet Ecclesia tot clerici ordinabantur, quot erant tituli. Igitur juxta juridicum conceptum, cuilibet beneficio adnexum est officium et quemadmodum docet *cap. ult. De Rescr. in 6º, beneficium datur propter officium*; Pontifex autem in *c. 13. De Præbenda* docet *singula officia exigere assiduitatem personarum*. Nec ex jure communi antiquo exiguitas beneficii ab obligatione residendi eximere poterat. Etenim ipso beneficio privari poterat clericus, qui prætextu exiguitatis officia seu servitium Ecclesiæ non præstabat *c. 6. h. t.* Verum immutatis rerum adjunctis, desinere incepit pro aliquibus beneficiis ratio obligationis servandi legem residentiæ.

5. Instituta enim sunt a fidelibus beneficia, quæ cum ex una parte non satisfaciebant honestæ clerici sustentationi procurandæ; ex altera autem parte onera adnexa habebant, quæ alibi etiam extra Ecclesiam beneficii persolvi poterant, ex. gr. onus recitationis privatæ horarum canonicarum, aut aliarum precum. Hinc ex rationabili et universali consuetudine inductum est, ut nonnulla beneficia legem residentiæ non secumferrent. Inceperunt inde distinguere beneficia residentialia et non residentialia, quæ communi acceptione hodie appellari solent beneficia simplicia. De beneficiis